Reverendissimo dno Nicolao ab
Amsdorff Episcopo Ecclesiae Na=
oburgensis eruditione, virtute,
et pietate praestanti patrono suo
colendo.

S. D. Reverendissime domine, Vir honestus et multis magnis virtutibus praeditus Paulus Knod nuper ex hac aerumnosa vita ad aeternam Dei, Christi, Prophetarum, et Apostolorum consuetudinem evocatus est. Narrant, placide inter gratiarum actionem et invocationem Dei, cum animam Deo commendasset fide filii mediatoris, extinctum esse. Ut autem multis virtutibus multos antecelluit, ita hac in re nobis felicior fuit, quod nunc non est spectator belli admodum periculosi. Nunc vero alius a te eligendus praefecturae tuae constituendus est, de quo et iudicium et arbitrium tuum sequeris. De bello Brunsuicensi nondum audimus pugnatum esse.

Oramus autem Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, ut Ecclesias harum regionum, in quibus sonat vox Evangelii de filio Dei domino nostro Iesu Christo crucifixo et resuscitato, defendat. Opus erit Georgio tuo pecunia, cum iam a Paulo petere non possit. Ideo existimo ei aliquid mittendum esse. Quod si ad me miseris ut ei ad usus necessarios numerem, fideliter eam rem administrabo.

Bene valete. 15. Octob.

Philippus Melanthon

Egregia pietate et doctrina praedito
D. Nicolao Amsdorfio docenti
Evangelium in Ecclesia Ma=
deburgensi amico Cariss.

S. D. Habeo tibi gratiam amanter, quod pictoris negotium adiuvisti, Senatus respondit benigne, cui meis verbis ages gratias. Sperabamus adventum tuum